

Nec scio, si laudum præconia specto tuarum,
Gratia quæ meritis sit tribuenda tuis.
Res etenim tantum te promeruisse fatetur,
Ut tibi vix solui gratia digna queat.
Utq; tuæ repetam breuiter primordia vitæ,
Emeritus quanta sis pietate senex.
Sæpius attento si pectore prisca reuoluo
Tempora, quæ studijs clara fuere meis.
In mentem reuoco, teneris veneratus ab annis
Qua fueris sacras sedulitate DEAS.
Ætatis sub flore tuæ cum corporis esses,
Addictus studijs, pars aliquanta mei.
Pestis at Austriacæ cum terræ infecerat auras,
Qua sis in patriam laude reuersus humum.
Laurea de studijs tibi cum collata fuisset,
Natalisq; soli cum noua fama fores.
Postea cum leges esses, & iura sequutus,
Quicquid & arcani dogmata iuris habent
Iuridico fueris quod contribuente Senatu
E studijs nactus præmia digna tuis.
Ætatisq; tuæ taceam iuuenilis ut annos,
Conspicius fueris quàm pietate fide.
Præsulis es celebrem mox inde vocatus in Aulam,
Qui CONSTANTINA nomen ab vrbe gerit.
Huius in arcanis ut Cancellarius esses,
Quæ fuit officio cura peracta tuo.
Vndiq; digna tuæ surgebat gloria famæ,
Nuncia virtutis non abolenda tuæ.
Quæ FERDINANDI cum peruenisset ad aures,
Qui Romanorum Regia sceptrâ tulit.
Ipsius ad Regimen GIENGERE vocaris, ab OENI
Vrbs vbi vicino nomina Ponte trahit.
Et tua cum perspecta foret prudentia Regi,
Atq; in consilijs integritasq; fides.

¶ Factus